

F

11. 75



B. 442^b



8.

PROGRAMMA
AUSPICALEM
ORATIONEM
DE
INCENDIO
ÆGIDIANO



Die Lunæ vigesimo septimo Junii, horam circiter decimam matutinam Anno 1698. in Auditorio Ægidiano publicè habendam indicens & denuncians.

heer 1705

HENRICUS Seyfried /

Ad Div. Ægidii V. D. M. & Prof. Publ.

Lecturis Benivolis

S. P. D.



L. Ann. Sc.
nec. in
quæst. nat.
lib. 3, c. 14.

Admirationem meretur, quod Seneca Eruditissimus in Naturalibus Quæstionibus retulit, Ægyptios ex singulis Elementis bina fecisse, unum masculum, alterum foeminam: In igne, quod lucet & calefacit, foeminam esse, quod comburit & absunit, esse masculum.

Operationes pugnantes Rem docent, non Nomina. Enimvero, quis nescius est, ignis vim & virtutem per omnia diffusam in Sole, Astris, homine, bestiis, reliquis rebus creatis, in intimis etiam terræ visceribus diversimodè deprehendi & perspicere. Præterquam quod * τοῖς ἄλλοις αἰτίων θερμότητός ἐστι, laudatore Stagiritâ acutissimo, præterquam quod Eum homines ** ὡς τὸν βίον ἀρρήσιμον κατασκευάζονται, teste Xenophonte, videmus sanè summo cum cordoliò Eundem per plura spatia evagari, ardoreque Ejus ingenito domos, arces, templa, oppida conflagrare & consumi. Eapropter Elementum hoc subtilissimum nos affari quasi audimus: ò pectora mortalia! Accipite & ponderate! Vos calore vitali foveo, vos dulci luce reficio, vos subtilitate tenuissimâ permeo, vos singulis noctibus, diebus, horis, ac momentis innumeris cumulo beneficiis. Me sine nocturnæ conterrere tenebræ, triste arderet frigus, vitæ spiritus rigesceret, & exhalata emigraret anima: At verò perhorrescite & formidate rabiem etiam meam & furorem: Uro ego & comburo: cuncta sustentans cuncta destruo, cuncta alens cuncta devoro & pessundo. Jam olim Sapientes de violentiâ hac sunt conquesti. En! Ebræorum scitum oraculum:

* aliis fit
causa caliditatis & conservationis.
** ad opportunam vitam ordinentur.

Ben. Syr.

נור דלק מוקד גדישן סגיאין:

i.e. *ignis ardens*, (quantum vis exiguus) *succendit acervos multos*. Apellis adjungo Gentilem, varietate, ubertate & acumine sententiarum exsuperantissimum, sic canentem:

Juvenalis
Satyra 14.
v. 245. 246.

*Ergo ignem, cujus scintillas ipse dedisti,
flagrantem latè & rapientem cuncta videbis.*

Gentili annecto sacris Christianis initiatum:

Palingeni^o
lib. 5.

*Ignis ab exigua nascens extinguitur undâ,
sed postquam crevit, volitantq. ad sidera flammæ,
vix putei, fontes, fluvii succurrere possunt.*

Hujus rei proh dolor! moestissimus ante oculos versatur Testis Monasterium quondam, eheu! quondam Ægidianum, quod inopinatâ incensione in favillas suas incidisse experienciâ edocti sumus acerbissimâ. Quantum de præfati Monasterii Natali legere mihi datum,

datum, tradunt Annales, Imperatorem CAROLUM MAGNUM A. 807. propter Norimbergam castra metatum, in Arce Idolum Dianæ ab indigenis divinitus cultæ removisse, & in monte versus Orientem Templum ac Cœnobium Sancto Martino erexisse & sacrasse; HENRICUM V. verò A. 1105. & urbi & huic templo, quod illo tempore Parochialis erat Ecclesia, extremam intulisse devastationem: Postea A. 1140, in restituendâ urbe ibi loci monasterium à CONRADO III. Imperatore, impulsu conjugis GERTRAUD & S. Bernhardi ædificatum, & à Scotis Monachis Ordinis S. Benedicti, tunc ob vitæ sanctimoniam celebribus, inhabitatum fuisse scribunt, cui CONRADUS Diaconum & Confessionarium suum, Charum, Abbatem præfecerat: Charo posthinc defuncto & ibidem sepulto successisse Abbatem Dedanum, qui itidem Diaconus & Confessionarius CONRADI fuerat, & A. 1150. Cæsaris Munificentia ampliorem & capaciorem ædem sacram variis columnis fultam, duabusque ornatam turribus extruxerat. Utrumque autem opus & fanum & Asceterium dedicabatur ac consecrabatur Sancto Ægidio, natione Græco, quo de varii varia enarrant. A Gallis appellatur Sainct Gilles, qui referunt, Sanctum hunc Athenis Regia stirpe profatum, Eremitam & Abbatem in Galliis fuisse, ipsisque Calendis Septembris A. 500. in suo cœnobio obiisse diem. Alii perhibent, Eum tempore CLODOVÆI Regis Galliarum in spelunca Narbonensi diu delituisse, sed à Regiis canibus exploratum claustrum ibi constructo esse præpositum. Divæ Mariæ Chronologia addit, Eundem A. 523. Arelati ad populum habuisse conciones. Contrà non pauci asseverant, hunc ÆGIDIUM fuisse Episcopum, temporeque CAROLI MARTELLI secessisse in Eremum, cui deinde cerva cibos adsportavisset, sed Anno 770. piè & sanctè obdormivisse. Fidem Autoribus relinquo, & redeo ad Monasterium.

Hoc Anno 1264. in suam protectionem recepit Pontifex Romanus URBANUS IV. qui juxta cum Antecedentibus Pontificibus & Imperatoribus multas eidem concesserat immunitates, donatis insuper redditibus & bonis Ecclesiasticis in Monachorum alimenta & sustentationem destinatis.

A. 1416. ALBERTUS Episcopus Bambergensis, ejectis Scotis, aliarum Nationum Monachos, ut & non-initiatos introduxerat.

A. 1418. usque ad Annum 1425. fratres ex Monasterio Reidchenbacensi huc translati maximo labore & molestia, ope beneficorum civium, imprimis CONRADI ZINGELSI, Provisoris, repararunt ruinosa ædificia, peristylumque, Abbatiam & dormitorium ferè de novo erexerant.

A. 1426. die B. Gregorii protectionem Imperator sapiens SIGISMUNDUS Incluto Senatui Norimbergensi commiserat, quam postea confirmarunt Imperatores glor. mem. FRIDERICUS III. A. 1444. & MAXIMILIANUS I. die 9. April. A. 1561.

A. 1429. Templi chorus 25. pedibus circiter versus Orientem extensus & amplificatus, annoque sequente 1430. Dominicâ Judica fuit consecratus.

A. 1525. d. 12. Julii Evangelii puri Phosphoro exoriente Johannes Pistorius, vulgò Fridericus, Abbas, totius conventus consensione Senatui & Rei-Eleemosynariæ Præfectis, Domino NICOLAO GROLAND, LEONI SCHÜRSTAB, LEONHARDO TUCHERO, & GEORGIO KÖTZELIO, monasterium juxta cum omnibus ædificiis, redivitibus, & appertinentiis, donationis titulò, tradiderat, qui Evangelicos Ecclesiæ ministros, scholamque, in Gymnasium hodiè immutatam, ibi constituerunt.

A. 1696. d. 7. & 8. Julii magnificam hanc fabricam devoravit ignis sævissimus, ceu Rudera, proh dolor! vel hosti miseranda lacerantur. Calamitatis Maximitas meretur, ut infelicissimum casum, qualis & quantus intra centum & plures annos recodatione longâ urbi vix incidit nec incidet, exquisitius & dolentius animo recolamus & revolvamus. Quapropter

DEI TER OPTIMI MAXIMI

Providentiâ sapientissimâ

ILLUSTRIS SENATUS NORIBERGENSIS

Gratiâ Indulgentissimâ

Nuper mihi consultò delatam Professionem Logicam

Die Lunæ

INAUGURALI

DE

INCENDIO ÆGIDIANO

ORATIONE

(quod DEUS benè vortat)

sùm auspicatorus,

Ad quam benivolè audiendam

PATRES PATRIÆ GENEROSISSIMOS

Tum etiam

Consultissimos, Gratosissimos, Nobilissimos omnium

Ordinum DOCTORES,

pariter ac

Plurimum Reverendos Ecclesiarum Antistites & Sacerdotes

Atque adeò


Singulos & universos Sapientiæ & Literarum

Fautores & Cultores,

qui commune ob malum lachrymulas profuderunt, observantissimè invito, submississimè expeto, & humillimè expecto.

Norimbergæ, Typis A. J. FELSECKERI,





Gb 580

8

NT

ULB Halle 3
008 589 925



WMA
VD18

h. t.



Baier

Nachrichte

von

der

Land

in


der

Land

von



PROGRAMMA
 AUSPICALEM
 ORATIONEM
 DE
 INCENDIO
 ÆGIDIANO



o Junii, horam circiter deci-
 . in Auditorio Ægidiano pu-
 icens & denuncians,